DISSERTATIO JURIDICA DE FAMOSIS LIBELLIS, QUAM AUTHORITATE & INDULTU MAGNIF...

Georg Radow, Johann Albert Weiss, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

GRave admodum, & atrox delictum eſſe furtum, nemo eſt qvi ignoret; & colligitur id inter alia haud obſcure ex eo, qvod Ulpianus non dubitaverit furtum referre inter probra, qvæ naturâ turpia ſunt *in l. 42. ff. de V. S.* atq; adeò ipſa ratio naturalis, omniumq; hominum mentibus inſita, omittenda eſſe dictitat *§. 1. Inſt. de J. N. G. & C. junct. §. 1. Inſt. de Oblig. quæ ex del. naſc.* qvæq; proinde non niſi malô fieri animô, nec in inem idoneum, ſed talem potius, qvi beſtiis. ratione naturali utis, accenſeri mereatur, cadere poſſunt *d. l. 42. in fin. ibiq; We- conſ. Habn. ad Weſenbec. d Furt. n. 7.* Qvemadmodum autem rimorum hominum deperdita non minus, qvam deploran- doles eſt, ut in vetitum plerumq; nitantur; cupiantq; negata: am hoc imprimis delictum, non attentâ naturali illa, qvam us, turpitudine, ubiq; gentium tam eſt familiare, ut vix ul- ater mortales reperiatur freqventius, aut notius. *teſte Dam- ro in praxi ſuâ rer. Criminal. cap. 110. n. 1.* Qvod tanto magis ebit, ſi huc qvoq; referas furtum, qvod, in oppoſitione ad & materiale, ſpirituale vocat idem Damhauderus *d. l. cap 125.* vô proximi honor & exiſtimatio malitiosè contrectatur, q; furto illo reali tantò eſt atrocius, qvanto gravior viris tis eſt jactura famæ, qvam non bonis ſaltem, ſed & vitæ atq; dini jure meritoq; præferunt *per l. 105. ff. de R. J. l. 8. C. de De- . X. l. 9. ff. de manum. vind. & tradita Carpzov. part. 2. prax. quaſt. 94. n. 1.* Dicitur namq; hæc furti ſpecies in jure no- omine ſuo injuria, non in ſenſu generico, qvo in juria deno- n omnem. qvæ non jure fit; nec in ſignificatione ſpeciali illâ, l damnum culpâ datum, vel iniqvitatem jus dicentis innui.; c ſaltem, eoq; ſpecialiſſimô modò, qvò ſignanter contume- . e. tale admiſſum ſignificat, qvô ſtudioſè id agitur, ut fama imatio alterius lædatur, eiq; dolor aliqvis creetur *per pr.*

 Inſt de

Inſt. de injur. & *l. 1. ff. eod. bic, DD.* & tot de eâ qvotidie ferè audiuntur qverelæ. *teſt. König. in caſ. conſc. cap. 6. caſ. 18. qui ex cauſis publice notis omnino meretur legi;* ut, ſi ex conſilio Ulpiani *in l. 1. pr. ff. de ſuſpect. Tutor* & Pauli JCti *in l. 25. pr. de Liberat. Legat.* qvotidiana præ aliis ſint tractanda, Tituli de Injuriis profectò indies evolvendi, publiceq; non minus, qvã privatim explicandi veniant. Committitur verò eadem variè; modò factô qvodam, vel corpori moleſtiam inferente; vel, citra corporis læſionem, ad infamiam alicujus pertinente, ut ſi qvis habitu, geſtu, vel alio aliqvo actu deſpicatui ducitur *§. 1. Inſt. & l. 1. §. 1. l. 13. §. 3. l. 15. ff. de injur. ibiq; Brunnemann.* qvod tamen haud eſt extendendum ad eos, qvi tempore Bachanaliorum, aut oblatâ qvadam occaſione aliâ, Bachanalia qvaſi antevertendò, veſtibus, vel ordini cuidam propriis, vel etiam non ſatis ſibi, temporive convenientibus utuntur *Eckold. Compend. Pandect. expoſit. de injur.* §. 2. niſi id fiat in invidiam, zur bravade *d. l. 15. § 27. ff. de injur. Anton. Mathæi de Crimin. Tit. de injur. 4. cap. 1. §. 1.* Ubi ſpecialiter notandum, qvod Clericum, habitu laico incedentem verberans, ignorans clericum eſſe, non teneatur pœnâ, qvæ percuſſoribus Clericorum dictitatur *in can. ſiquis ſuadente diabulo 29. C. 17. quæſt. 4 c. in audientia 25. X. de ſentent. excommun. Maſcard. de probat. Concl. 349. n 4.* Uti nec Vaſallus, qvi dominum ſuum inter homines nauci repertut injuria afficit ignarus, feudum amittit *docente Brunnem. in l. 15. ff. de Injur. n. 9. & Maſcard. cit.* I. Modò verbis, vel nuncupatis, ut ſi qvis alicui convicium, hoc eſt, vel naturâ, vel moribus Civitatis probroſum qvid ingerat. & e. g. furem, nebulonem, German. Bube/ aut adulterum, mendacemq; *l. 1. §. 1. & 2. l. 15 ff. l. 5. C. d. t. & §. 1. J. eod. vid. C. J. A. d. Injur. tb. 4. & 5. Anton Mathæ. d. t. n. 2. ſeqq.* vel etiam hæreticum, ſeu non orthodoxum nominet. *vid. l. 2. 12. C. de hæret. junct. Authent. Gazares eod & Nov. 109. in pr. verſ. hæreticos. conf. Brunnemann. ad alleg. Text. Cod. & ab hoc cit. Tabor.* etiamſi addatur præfatio honoris *arg. l. 21. de acquir. vel omit. hæred. Gail. 2. Obſ 101. n. 1.* vel etiam ſcriptis, tam ſub, qvam ſine vero authoris nomine editis; qvarum illa manet in terminis injuriæ verbalis ſimplicis, hæc verò poſterior qvalificata evadit in ſpeciem criminis, vocaturq; famoſus libellus

d. §.

. 1. *verſ. ſi quis Inſt.* & *l* 8. § 9 *ff. de Injur. junct. l. un. C de famoſ.*
ll. Rebhan. Hodeg. Jur. Chart. 2. Clim. 4. Paral. 37 cujus qviddi-
em & effectus hac vice poſitionibus aliqvot ſtrictim illuſtrare,
qviſitioniq; publicæ ſubmittere animus eſt. Et nata qvidem
è comprimis nobis eſt occaſio, qvod innoxia, publicisq; typis
veris authorum nominibus excuſa honoratiorum Virorum
ota,, ſcenicâ qvadam, atq; theatrali dicacitate & impudentiâ,
infami illo nomine injurioſiſſimè non ita pridem traducta,
ſvaſumq; nobis fuerit, & ipſius reipublicæ Literariæ, & eo-
n etiam, qvi juri operam dant, qvam maximè intereſſe, ne
tilens iſte error, vel potius maledicentia, in qva plus eſt injuriæ
am in manu, *Authore Quintilian. cap. 6. n. 3.* cuiqvam, & ne qvi-
n veritati, qvam omnes boni amant, & ſectantur, præjudicium
qvod faciat. Eſto igitur in nomine Altiſſimi, qvi eſt ipſa veri-
, & juſtitia, qviq; viam ad jus & veritatem aperi.

POSITIO I.

Famoſus Libellus dicitur alias communiter Paſqvil-
lus, Germ. Ein Paßquill/ à ſtatuâ qvadam marmo-
reâ, fractâ, mutilavè, ſpeciem gladiatoris alicujus refe-
rente, propè tabernam ſartoris cujusdam, virulentiæ vi-
,& maledicentiæ, atq; obtrectationis ſtudiô famigeratiſſimi, Pa-
vini, Romæ qvondam caſu qvodam erectâ, & per totum ter-
rum orbem notiſſimâ, cui Epigrammata famoſa in hunc usq;
m affiguntur, literâ N. in LL. mutata, *per tradit. Wehneri in Ob-
v. Pract. voc.* Paßquill. *conf. Beſold. Theſaur. Pract. ead. voc. i-
; Chriſtoph. Ludovic. Dietherr. in addit. Carpzov. d. part. 2. Prax.
imin. quæſt. 98. n. 3. Franc. Scot. Itin. Ital. part. 2 cap. 9.* & defini-
commodè poteſt, per ſcripturam injurioſam, ad excitandū
nocenti famæ, vel capitis periculū, occultè propoſitam.

II.

Generis vicem in definitione ſubit ſcriptura, defendiq; id
teſt, tum ex nomine libelli, cum primitivo ſuo ſcripturam de-
tantis *vid. Faber in Theſaur. Erudit. Scholaſt. hac voce. C. J. A.
Tit. de Edendo th. 14. n. 7. add. Calvin. Lex. Jurid. voc. libellus fa-
ſus;* tum ex eo, qvod libellus famoſus ſpecies qvædam ſit injuriæ

 ſcriptæ;

ſcriptæ, qvæ, in oppoſitione ad injuriam nuncupatam, h. e. vivâ voce prolatam, neceſſario ſcripturam reqvirit *per ſup. notat. conf. Carpzov. d. quæſt. 98. n. 4. C. J. A. d. injur. th. 38.* Nec huic noſtræ aſſertioni adverſatur, qvod ad injuriam ſcriptam pictura qvoqve referatur, & qvicqvid præterea opere ſculptili, aut fuſili in contumeliam alicujus factum eſſe dicitur. Diſtinguendum enim eſt inter injuriam verbalem propriè ita dictam, & eam, qvæ ſaltem per analogiam qvandam ita appellatur; nam hoc poſteriori modo tantum, non etiam priori, ad verbalem injuriam pertinent, qvæ per picturam, vel aliud opus ſculptile, aut fuſorium exprimuntur, cum aliud ſic ſcriptura, aliud ſtatua vel pictura, *l. 9. §. 1. & 2 ff. de A. R. D. § 33. & 34. Inſt. de R. D. conf. Ordin. Polit. Imp. de Anno 1548. Tit.* von Schmähſchrifften *34. §. 1. It. R. J. Spirenſ. de Anno 1570. §. 155. ſqq. & Ord. Polit. Anno 1577. Tit. 35* Ubi nominatim diſtingvuntur Schrifften/ Gemälde/ Abgüß/ Geſchnitz und Gemächte *adde C. J. A. d. Tit. th. 38. Dietherr. in addit. ad Beſold. d. l.* Sic etiam nihil intereſt, utrum in chartâ vel membrana *l. un. ibi Chartulas C. de famoſ. libell.* utrum manu, calamovè, an vero typis expreſſa; multo minus, an in forma epiſtolæ, epigrammatis, carminis vel hiſtoriæ alicujus propoſita fuerit injuria, *d. l. 5. §. 10. ff. de injur. junct. §. 1 J. eod. & l. 21. in pr. ff. de Teſtib. l. 18. §. 1. ff. qui Teſt. fac. poſſ. conf. C. J. A. d. l. th. 40. Dietherr. citat. addit. Boecr. ad l. un. C. de famoſ. Libell. proœm. n. 8. & c. 1. n. 3.* ſecundum notiſſimam illam regulam: Nec curamus modum, dummodo adſit effectus *ex l. 3. ibiq; Bald. in pr. ff. de Inſt. & ſubſtit. l. 12 §. 6. ff. Mandat. vid. Pantschman. lib. 1. quæſt. pract. 19. n. 103.*

III.

Qvia vero qvam plurima ſcribuntur, qvæ ad injuriam, vel famoſum libellum in ſpecie referri nullâ ratione poſſunt, vel debent, idcirco in præmiſſa definitione nonnulla fuere adjicienda, qvibus conſtituti generis amplitudo ita reſtringeretur, ut de nulla alia ſcriptura, præterqvam eâ, de qvâ nobis ſermo eſt, prædicari convenienter qveat. Et primo qvidem loco additur vox **injurioſa**, qvâ ſatis luculenter demonſtratur, famoſi libelli nomen non mereri ſcripturam, niſi contineat aliqvid injurioſi; ad qvod duo potiſſimum reqviruntur, (1) ut in contumeliam alicujus, & (2) dolo

(1) dolo malo, h. e. convicii conſilio, & affectu qvid ſcriptum eſſe probetur. *§. 1. J. de Injur. l. 1. pr. l. 3. § 1 & l. 5. C. eod l. 34. pr. ff. de O & A. Carpzov. d part. 2. Prax. Crim. quæſt. 97. n. 1. Schnobel. Diſp. 24. th. 7. & 8.* Unde alii definitionibus ſuis libelli famoſi, verba, *dolo malo*, neceſſariò inſerenda eſſe crediderunt, ſubnixi *l 5. § 9. de Injur. vid. C. J. A. d. l. th. 39. Bocer. d. cap 1. n. 7. & Eckolt. all. loc. §. 30.* qvi tamen in ſententiam Carpzovii tranſire tandem videtur, qvi præmiſſa verba in ſua definitione non expreſſit, perſvaſus forſitan nobiſcum, ſufficere, ſi virtualiter in definitione eadem contineantur, libellusq; famoſus dicatur ſcriptura injurioſa, ſeu ſpecies qvædam injuriæ verbalis, cujus formam internam, æqvè ac aliorum delictorum omnium, conſtituit dolus *l. 53. ff. de furt. §. 1. J. eod. § 1. de Vi bon. rapt. l. 1. C. ad L. Corn. de Sicar.* nihil qvicqvam obſtante damnô, qvod vindicat Lex Aqvilia, cum delictum hoc, qvatenus per culpam qvamcunq; committitur, non ſit verum, ſed qvaſi delictum, & cum damno, dolo malo commiſſô, in tractatu de veris delictis conjungatur propter connexitatem cauſæ, & ne tractatus Legis Aqviliæ diſcerperetur *Pac. in Iſag. ad Inſt. de Obl. quæ quaſ. ex del. n. 1. quem ſequitur Tabor in Jurispr. Elem. p. 4. Sect. 1. n. 13. ἐκϑ. Rebban. Hodog. chart. 2. Clim. 4. paral. 23.* qvamvis alii aliter hanc rem explicent *vid. Bachov. ad §. 1. de Obl. quæ quaſ. ex del. &c. Franzk. ad §. 3. Inſt. de L. Aquil. n. 1. 2. & pr. J. de Obl. quæ quaſ. ex del n. 2. ſeqq.*

IV.

Notari tamen h. l. meretur, qvod affectus iſte ex qvolibet dicto, in ſe & ſuâ naturâ injurioſo, ſemper præſumatur, reusq; deficiente qvamvis omni aliâ probatione, ex præſumptione iſtâ condemnandus ſit, niſi omnem à ſe injuriandi animum, atq; dolum abfuiſſe ſolidis argumentis demonſtrare qveat *l. 15. §. 5. & l 18. §. 3. ff. d. t. ibiq; Gloſſ & DD. C. de Injur. conf. Weſenbec. Paratit. ff. d t. n. 8. Cothman. V. 1. Reſponſ. 15. n. 143. Menoch. de præſumpt. lib. 5. præſ 3. n. 47. Gilhauſ. tract. de Injur. & famoſ. libell. §. 6. n. 24 Brunnem. in d. l. 5. C. Clarus in §. injuria. lib. 5. ſent. n. 12. Mevius part. 5. Dec. 390.* ita ut qvidem ſufficiat, ſiqvis, deficientibus probabilibus præſumtionibus aliis, animum injuriandi abfuiſſe, juramento confirmare velit, *docente Cothman. d. Reſp 15. n. 205. ſeqq. add. Carpzov. de part. 2. Prax.*

Prax. Crim. quaſt. 97. n. 9. & 10. & Juriſpr. Forenſ. part. 4. Conſt. 42. Def. 9. Perez. in C. de Injur. n. 1. Berlich. part. 5. Concl. 60. n. 12. add. Mev. part. 3. Dec. 30. & 31. Joh. Philip. Uſu. Pr. Inſt. ad lib. 4. Tit. 4. pr. Eclog. 20. & 22. Et ſi qvis hic nobis objiciat famoſam illam regulam, ex *l. 12. §. 3. ff. de liberal. Cauſ.* à DD. probari ſolitam, qvod ſc. à dolo excuſet qvævis cauſa, etiam injuſta, fatua & beſtialis, illi paucis reſpondebimus; excipi à regula delicta manifeſta, factaq; per ſe prohibita, & ubi dolus præſumitur, *d. l. 5. C. de injur. vid. Maſcard. de probat. Concl. 531. n. 10. Pariſ. Conſil. 52. n. 33 & Conſ. 78. n. 16. Vol. 4 quos ſequitur Brunneman. in all. l. 12. & Weſenbec. Conſil. 42. n. 24. Gail. lib. 1. de pac. publ. c. 7. n. 13.* Si verò verba in ſe & ſuâ naturâ non ſint injurioſa, vel ſaltem indifferentia; & qvæ injuriam importare poſſunt, aut non, tum actori probatio animi injurioſi, per conjuncturas ad minimum, incumbit *l. 2. l. 23. de probat. l. 4. C. de Edend. Ludwel. in not. ad Weſenb. n. 8. verb. præſumptio eſt contra injuriantem. Carpzov. Lib. 2. Reſp. 66. n. 3. Farinac. lib. 5. Prax. Crim Tit. 12, quaſt. 105. n. 118. Schneidwin. ad §. ult. J. de Injur. n. 3. verſ. ſi vero & dictum. Berlich. part. 5. Concluſ. 60. n. 5. ſeqq. Philip. d. Eclog 21. n. 3. & 4.*

V.

Qvod ſi igitur qværatur, annon à præſumpto dolo indubitanter excuſet ſacerdotalis ad minimum officii neceſſitas? Reſpondebimus diſtinguendo: utrum Orator eccleſiaſticus ex piò legitimoq; Zelo in ſeculum & mores generaliter invictus ſit, an verò certæ perſonæ, ex privato affectu, ſeu vindictæ cupiditate, aut calumniandi libidine crimen aliqvod ita objecerit, ut omnes intelligere potuerint, qvis correptione illâ, reqviſitis & gradibus ſuis, qvos eleganter & accuratè diſtinxit *B. Dn. Caſpar. Mauritius in ſpeciali Tr. de Offic. Chriſtian. Elenchtico Anno 1660. hic edito*, deſtitutâ, atq; adeò nec fraternâ, nec piâ, ſed injurioſâ, atqve damnabili notatus fuerit? Nam ſicuti prius affirmamus, eoq; referendum credimus præjudicium, qvod habet *Philip. de Eclog. 20. n. 7.* ita poſterius omnino negamus *per R. J. de Anno 1530. §.* **Wir haben uns darauff** *&c. 55.* & rationes collectas à Carpzov. *lib. 3. Juriſpr. Conſiſtor. Def. 68. n. 12. ſeqq. add. Balduin. de Caſib. Conſcient. lib. 4. cap. 7. caſ. 5.*

Caſ.5. Jul. Clar. lib. 5 ſentent. §. injuria n.1 Berlicb. p. 5. Concl. 59.n.31. & Concl. 60. n. 8. Eckolt. cit. l. §.5 conf. Nebelkrâ Dec. 18. §. reus conſentius. verſ. ſimiliter. Mev. part. 5. Dec. 220. n. 11. in fin. König. alleg. cap. 6. caſ. 18. & cap. ult. ſect. 2. caſ. 10. pag. 834. & 836.

VI.

Subjiciuntur porro in definitione verba: **ad excitandum famæ, vel capitis periculum.** (1.) ut excludatur à famoſo libello contumelia non famoſa, qvæ objectione vitii cujusdam naturalis, qvod v. g. ſit claudus, luſcus, gibboſus &c. alicui ingeritur, &, apparente etiam vitiô, infra legum curam non eſt, uti opinatur Anton. Mathæi *d. Tit. de Injur. 4. c. 1. n.3.* Sed ad injuriam, licitis juris remediis coërcendam, eo ad minimum caſu pertinet, ſi eo fine facta probari poſſit, ut vitii illius exaggeratione reddatur apud alios contemptibilior *arg. l. 2. C. quand. & quib. quart. pars deb. Lib. X. l. 3. pr. de lib. & poſthum. l. 18. ff. de Injur Weſenbec. d. Tit. n. 8 Harprecht. ad §. 1. J. de Injur. n. 110. Brunnem. in d. l. 18. ff. de Injur. n. 7.* atq; adeò in terminis injuriæ ſimplicis ſubſiſtit, cum ad famoſum libellum inter alia reqviratur contumelia famoſa, ſeu ad infamiam alicujus facta. *per l. 5. §. 9. l. 15. § 29. ff. de Injur. l. un. C. de famoſ. libell. C. C. C art. 110. ibi* Laſter und Ubel/ *conf. Eckolt. d. l. §. 31. n. 1. Weſenbec. d. t. n. 19. Carpzov. d. part. 2. Prax. Crim. quæſt. 98. n. 51. Bocer. d cap. 1. n. 8.*

VII.

Nec relevabit, ſi qvis cum *Bachov. & Habn. in not. ad Weſenbec. d. n. 19.* objicere velit: differentiam hanc, à notâ infamiæ deſumptam, nullius eſſe momenti, cum hominis improbi calumnia infamiam inurere nemini poſſit. Nam qvamvis in tam lubrico hominum innocentium exiſtimatio, & honor non ſit loco ſitus, ut alicujus petulanti calamô, vel linguâ lædi revera qveat *d. l. un. ibi bujusmodi autem libellus alteriùs opinionem non lædat. C. de famoſ. libel. & c. 4. in fin. C. 5. quæſt. 1. Franzk. Exerc. Juſtin. 12. quæſt. 8. n. 7. ſeq.* Utpote qvi ex facto ſaltem proprio, authoritate Legis, vel Judicis alicui adimitur *l. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit. t. t. de his qui not. infam.* qvò etiam reſpicit *Ord. Polit. Francof. de Anno 1577. Tit. 38.*

 §. Es

5. Es ſollen auch 4. irrationabilem illam opificum conſuetudinem, qvâ tolerari infamatus in Collegio non vult, priusqvam contra diffamantem victrix in judicio obtineatur ſententia, tollens, notabilibus hiſce verbis: Es ſol auch der jenige ſo geſchmähet worden/ keines weges außgetrieben/ ſondern bey ſeinem Handwerck gelaſſen werden/ und die Handwercks Geſellen mit und neben ihm zu arbeiten ſchuldig ſeyn/ ſo lange biß die angezogene Injurie und Schmach jegen ihm/ wie ſichs gebühret/ erörtert wird. Nihilominus tamen, ſi diffamantis intentio, & objectorum criminum effectus inſpiciatur, negari haud poteſt, eò omnia in famoſo libello eſſe directa, ut diffamati fama periclitetur, juxta vulgatum, calumniare audacter, ſemper aliqvid hæret; *vid. Bocer. alleg. tr. cap. 4. per tot.* hoc namq; ſenſu Weſenbecium ſua qvoqve intellecta voluiſſe, ſatis manifeſtè apparet ex iis, qvæ num. *antec. 18.* propoſuit, ubi notanter ait: *non enim ut per eadem vita auffertur, quæ vitæ privatione jure punitur, ſic etiam exiſtimatio per injuriam. Perditi enim & profligati hominis maledictis nullius gloria, dignitasve violatur add. Habn. ad Weſenb. d. n. 18.* Ubi eleganter reſtitutionem famæ, qvæ intenditur per actionem ad palinodiam, ſeſe magis habere, ait, negativè, qvam poſitivè, arg. ſententiæ, qvæ nihil novi ponit, ſed illud qvod juris eſt, ſaltem declarat.

VIII.

Et contra eadem jura *in fin. poſit. 6.* allegata videbitur is qvoqve diſputare, qvi libellum famoſum à calumniantis ſaltem turpitudine dici exiſtimaverit cum Chriſtoph. Ludovic. Dietherren *in not. ad Theſ. Pract. Beſoldi all. loc.* utut non diffiteamur damnatum tandem ob famoſum libellum fieri ex lege inteſtabilem, atq; adeò famoſum *l. 5. §. 9. ff. de Injur. l. 21. pr. ff. de Teſtib. l. 18. §. 1. ff. qui Teſt. fac. poſſ.* C. C.C. *art. 110. vid. C. J. A. d. t. de Injur. th. 45. n. 3. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Ex. 45. th. 69.*

IX.

(1) Ne trahamur in ſocietatem, conſortionemq; eorum, qvi inter reqviſita famoſi libelli & hoc referunt, ut objiciatur crimen aliqvod

ꝛod ſpeciale & notabile, ex qvo, præter infamiam, pœnâ qvæ-
capitalis metuenda ſit; ita ut, ſi qvis in genere criminoſus,
ſtus, vel nebulo dicatur, aut delictum qvodpiam ſpeciale ali-
bjiciatur, cui non ſit conſtituta pœna capitis, famoſum tamen
lum eô nondum conſtitui, ſed pro injuria ſimplici ſcripturam
n habendam eſſe credant. *vid. Weſenbec. paratit. d. n. 19. ibid.
1. & Bachov. adde ejusd. Weſenb. not. ad Schneidw. ad Tit.* J. *de
. §. 1. lit. a. & Conſil. 22. n. 5. Vol. 1. Harprecht. ad Tit. J. d. Injur.
n. 150. ſeqq. conf. Brunnem. in l. 5. §. 9. ff. de Injur.* Horum
q; ſententiæ manifeſte repugnat *all. l. 5. §. 9. & 10. ff. de injur.*
vult, famoſum libellum eſſe, ſi ſaltem ad infamiam, vel notam
jus aliqvid edatur.

X.

Undè firmiter colligitur, pro famoſo libello habendam eſſe
turam, non eam ſaltem, in qvâ qvis in genere ſceleſtus, & cri-
oſus dicitur, cum nemo dubitet, voces ſceleſti, Schelm/ ne-
nis Bube/ tam eſſe Germanis odioſas, & infames, qvam eſt
ım & indubitatum, qvod criminoſus juridicè is dicatur, qvi
en aliqvod commiſit, ob qvod in accuſationem judicii vel
ici, vel extraordinarii incidere poſſit *t. t. ff. de extraord. Crim.
t. de publ.* Jud. ubi damnatum ſemper comitatur infamia *l. 7.
publ.* Jud. *vid. Weſenbec. paratit. eod. Tit. n. 6. conf. Bocer. d. tr.
1. 9.* ſed qvâ etiam alicui objicitur, qvod ſit damnatus civili
tio, ex qvo condemnatum ſeqvitur infamia, qvale eſt judici-
ſocietatis, depoſiti, mandati & tutelæ *per* §. 2. *J. de pœn. tem. lit.
. 4. l. 6. §. ult. & l. 7. de his qui not. infam.* aut qvod ſit ſpurius,
arnifex, aut lictor, cum & hos levis notæ maculâ laborare,
ifeſtum ſit *ex l. 28. C. de inoff. Teſt. l. fin. C. de nat. lib. l. 6. C. de De-
n. Ord. Polit. Imp. de Anno* 1577. *Tit.* von leichtfertigen Bey-
ꝛungen *vid. Hahn. ad Weſenb d. his qui not. infam. n. 2. conf. C.
ad Tit. d. inof. teſt. th. 9. & de Injur. th. 39. it. Speidel. Specul. obſ.*
Hencker.

X I.

Nec obſtat *l. un. C. de famoſ. libell.* ubi ſalutis ac devotionis pu-
æ ſit mentio, eoq; ſatis luculenter indignitari videtur, famo-

 ſum

ſum libellum illum demum eſſe habendum, qvo crimina capitalia, atqve ad ſalutem reipubl. pertinentia alicui objiciuntur; qvod ulterius confirmatur *l. 4. §. 10. C. Theodoſ. de fam. libell.* ubi famoſus libellus dicitur is, qvô vita alterius in judicium devocatur; qvo caput alterius contra juris ordinem pulſatur, & inimicis venenatum telum injicitur, & C. C. C. *d. art. 110.* ubi reqviritur, Daß ein ſolches Laſter und Ubel jemand zugemeſſen werde/ daß der Geſchmähte an Leib/ Leben und Ehren peinlich beſtraffet werden möchte/ wo die mit Warheit befunden würden. Reſpondendum enim eſt, his verbis non circumſcribi eſſentiam libelli famoſi, ſed pœnam tantum capitalem, famoſorum libellorum editoribus ibidem dictitatam, qvæ non habet locum, ſi qvis famoſo libello non appetierit vitam & ſalutem alterius, ſed famam duntaxat atqve exiſtimationem. *docente Anton. Mathai d. tr. Tit. de Injur. 4. c. 2. n. 5.* de qvâ pluribus infra erit agendum.

XII.

De pudendis, cornibusq; ad oſtium, vel feneſtras alicujus depictis, vel appenſis, non una DD. eſt ſententia. Libelli enim famoſi loco picturam iſtiusmodi eſſe habendam, docet *poſt Parid. de puteo Tract. de Synd. Tit. injuria officialis, cap. 1. n. 6. & Clarum lib. 5. Sentent. §. ult. quaſt. 68. n. 25. itemq; Farinac. p. 3. Prax. Crim quaſt. 105. n. 471. atq; alios ibid. citat.* Berlich. *p. 5. Concl. 76. n. 51 conf. Hahn. ad Weſenb. de injur. n. 19. in fin.* Negativam autem tuetur *Carpzov. d. p. 2. Prax. Crim. quaſt. 98. n. 54.* ex hac ratione, qvod ejusmodi picturâ nec delictum aliqvod domino ædium imputetur, nec infamia impingatur. Qvia vero Carpzovii ſententia ſingularis, & id præterea ſupponit, qvod eſt in qvæſtione, & *3. prox. praced. poſſit:* ſolidiſſimis rationibus remotum, *uti apparet ex pr. all. n. 54.* Ideoq; communiori ſententiæ h. l. ſubſcribere non dubitamus; tum qvod eadem ſit conditio, & pœna famoſæ picturæ, qvæ eſt libelli famoſi, *per l. 5. §. pen. ibi: aliudve quod ſine ſcriptura in notam aliquam produxerit ff. de injur. junct. R. J. Auguſta de Anno 1530. §.* und nach dem *58. ibi* Schmähſchrifft und Gemählde *Ord. Polit. de Anno 1548. Tit.* von Schmähſchrifften Gemälde *34. R. J. Spirenſ. de Anno 1570. §. 125. & Ord. Polit. de Anno 1577. Tit. 35. conf.*

Poſit. 2.

ſit. 2 ſup. & Harprecht. ad §. 1. *J. de Injur. n. 152.* à qvo verbis po-
s qvam re ipſa diſcedit Bocer. *all. tr. cap. 1. n. 24.* tum qvod meus,
njuriandi animus ſatis ſuperq; ex monſtroſa, & infami picturâ
parent, qvæ, utut ſi muta, non minus tamen loqvitur qvam li-
æ, indeq; haud incongruè tacitum poema dicitur *anthoriRhetor.*
Herenn. cap. 4. conf. Poſit. 2 ſup.

XIII.

Sicut enim notorium eſt, atqve adeò nullâ probatione eget,
adulteria uxoris conniventem, matrimoniiq; ſui ſubſeſſorem
ientem, vulgo vocari cornutum, incerto etymo, qvem cum
nis non malè currucam, qvæ avicula eſt, qvæ cuculi ova pro
fovet *teſt. Ariſt. 6. de Animal. 7.* dici vult Anton. Matthæi *d. tr.*
de Injur. c. 1. n. 1. Germanis Hanrey vel Hanreyet h. e. gallorū
ſtatorum choragum, vel Moſes Ebenbild/ fortè à cornutâ
ſi facie, qva Moſes communiter, an rectè? jam non diſputa-
s, pingi ſolet; aliis ex idiotiſmo Gallorum, bonum hominem
Clar. lib. 5. ſent. § injuria n. 1. Tuſch. Tom. 4. Pract. Concl. 158. n 5.
J. Gothofr. ad l. 1. §. 2. ff. de injur. qvaſi corde nudus ſit, qvi de-
us iſtud patiatur, *Nicol. Hennel. ab Hennefeld. in Otio Vratislav.*
47. ita certo certius eſt, picturâ ſuperius memoratâ non mi-
, qvam ſi qvis cornutus deſignetur erectione duorum digito-
n, in modum cornuum formatorum *juxta Anton. Math. d. cap.*
1. domino, vel inhabitatori ædium objici proſtitutam uxoris
dinem, qvâ non uxor ſaltem ſed & ipſe per obliqvum qvā ma-
iè infamatur *per trad. Nicol. Hennel. ad Hennef. d. loc. & Anton.*
thæi d. l. De qvo tanto minus dubitabitur, ſi pictura ſupra oſti-
, vel etiam alibi affixa, effigiem hoſpitis, vel alius cujusdā, duo
nua in capite geſtantis, ad vivum exprimat, qvale exemplum
ponit ex Gvazz. *de Civil. converſ. lib 1.* ſæp. citat. Dietherr. *in*
ot. ad Beſold. Theſ. Pr. voc. Paßqvill. Sicut etiam nemo non
et, januâ vel tabulâ qvadam, januæ appenſâ, imaginemq; vel
pitæ, vel fœminæ cujusdam referente, pudendis, prædicto mo-
ad infamiam ornatâ, accuſari vel dominam ædium, vel eam,
s effigies exprimitur, vagæ, vetitæq; libidinis, meretriciorūq;
d certè non eſt honorificum, ſed qvam maximè injurioſum,

 & ſa-

& famoſum. *vid. Speidel. Spec. var. Obſ. voc.* Hur/ Hurerey/ & Hurenhäuſer.

XIV.

Voculâ **innocenti**, qvæ expoſitis *Poſit. 6. ſeqq.* definit. noſtræ verbis inſerta legitur *Poſ. 1. in fin.* tetigimus vexatam illã, & intricatiſſimam controverſiam, utrum ſc. pro famoſo libello haberi debeat ſcriptura, in qvâ verum crimen alicui objicitur. Tot enim & tam variæ hic reperiuntur interpretum ſententiæ, ut, ſi res autoritatibus definienda ſit, vix reperias, ubi tutò pedem figere poſſis. Negativæ verò, qvâm defendendum ſuſcepimus, ſententiæ non patrocinatur ſaltem Paulus JCtus in *l 18. pr. ff. de injur.* ſtituens, *eum, qui nocentem infamavit, non eſſe bonum æqvum ob eam rem condemnari;* ſed ipſa C.C.C. *art.* 110. qvo inter alia ad famoſum libellum reqviritur, daß das Laſter und Ubelthat unrechtlicher NB. Unſchuldiger Weiſe jemand zugemeſſen werde. Et ut tantò minus dubitare hac de re liceat, paulo poſt idem famoſus libellus dicitur eine böſe NB. unwarhafftige Läſterſchrifft/ qvod fieri non poſſet, ſi nocenti delictum qvod piam objectũ, famoſum libellum conſtitueret; mendacium enim & veritas non conveniunt. Qvibus omninò conſonant, qvæ *in l. 5. C. de Injur. & l. un. C. de fam. lib.* Impp. Sacratiſſ. reſcripſerunt, ſtatuentes, *fidem veri à calumnia non modo defendere, ſed & cum qui objecta probaverit, laude & premio dignum eſſe.* Et, ſi Poëtarum authoritatis in cauſis qvoq; juſtitiæ alleganda eſt, *arg.* §. 1. J. *de donat. &* § 1. J. *ad L. Aquil.* utiq; ſententiam noſtram evidenter confirmat Horatius, *lib. 2. Satyr.* 1. *in fin.* ita canens:

Si mala condiderit in quem quis carmina, jus eſt,
Judiciumq;: eſto, ſi quis mala: ſed bona ſi quis
Judice condiderit laudatur Cæſare: ſi quis
Opprobriu dignum latraverit, integer ipſe,
Solventur riſu tabulæ, tu miſſus abibis.

XV.

Rationes, & fundamenta, qvibus nituntur, affirmativam qvi tuentur, non qvidem ſunt de nihilo; urgetur etenim (1) *idem art.*

110.

no. C C C. ubi in fine hæc leguntur verba. **Und ob ſich auch gleichwol die auffgelegte Schmach der zugemeſſenen That in der Warheit erfünde/ſoll dennoch der Außruffer ſolcher Schmach nach vermöge der Rechte und ermeſſen des Richters geſtrafft werden.** (2) *l. 1. C. Theod. de fam. lib.* qva Imp. Conſtantinus expreſſe definivit, authorem famoſi libelli ſupplicio non eſſe ſubtrahendum, etiamſi probaverit infamati crimen; & (3) *d. l. un. C. de famoſ. libell.* ubi devotionis ſuæ, & ſalutis publicæ cuſtodiam gerens juberi videtur nomen ſuum profiteri, & qvæ per famoſum libellum proſeqvi putavit, ore proprio edicere; nihilominus tamen hæc, & alia, pro Affirmativâ à DD. in medium proferri ſolita, tanti non ſunt ponderis, ut propterea negativa deſerenda ſit, qvin potius ita comparata, ut diſtinctione expediri negotium feliciter poſſit. Suggerit autem eam idem Paulus JCtus *in fin. pr. all. l. ff. d. Injur.* ubi aſſertionis ſuæ hanc reddit rationem, ***quod peccata nocentium nota eſſe & oporteat, & expediat.*** Indè negativam noſtram limitamus in iis, qvæ vel nota eſſe non intereſt reipubl. vel qvæ nota jam antea fuerunt, ſed vel neglecta, vel etiam remiſſa atq; condonata; vel torturâ purgata; vel debito modo ante punita. *L. ult. §. ult. C. de ſent. paſſ. l. 2. C. de bon. vac. l. 7. §. 1. in ff. de jur. patron. l. 5. C. ad L. Jul. de adult. l. 12. C. ad L. Corn. d. Gail. lib. 2. de pac. publ. c. 19. n. 2.* Carpzov. *d. p. 2. quaſt. 96. n. 78. Lauprecht. ad d. §. 1. J. de injur. n. 57. ſeq. Weſenb. in parat. de pœn. n. 9.* Pœnam illam autem extraordinariam, de qva alleg. C. C. C in fine loqvitur, circa ſingulares, & exceptos caſus occupatis, non vero iis, qvi, qvæ ſcire reipubl. intereſt, anteaq; nec nota, multo minus neglecta, condonata, aut punita ſunt, aperiunt, dictandam ſtatuimus; moti potiſſimum hac ratione, qvod all. C. C. C. non ſimpliciter extraordinariâ pœnâ, objecti in famoſo libello criminis veritatem probantes, affici velit, ſed ſub notabili hac restrictione; qvat: id per jura communia licet, in verbis: **nach vermögen der Rechte.**

XVI.

Nec obſt. qvod arbitrio etiam judicis hoc caſu nonnihil tribuatur in all. art. 110. *ibi:* **und ermeſſen des Richters.** Arbitrari enim Judex debet, an crimen qvod reipubl. expedit ſcire, ex amore

ex amore boni publici, & conſcientiæ ſtimulo haud ſimulatô, an verò ex privata qvadam vindicta, & excandeſcentiæ impetu qviſpiam pateſecerit, juxt. *Mev. p. 3. Dec. 357. p. 5 Dec. 390. Carpzov. lib 2. Reſp. 61. n. 6 aliosq; quos allegat & ſequitur Brunneman. in l. 18. ff. de Injur.* Et ſecundum hæc explicari poterit qvoqve *l. un. C. de famoſ. libell. & l. 1. C. Theodoſ. eod.* niſi velimus dicere, hanc, ut iniqvam, & reſponſo Pauli è diametro contrariam, Imp. Juſtiniano diſplicuiſſe, atqve propterea Codici ipſius novo inſertam non fuiſſe *cum Anton. Mathæi d. cap. 1. n. 8. in fin. vid. Schneidwin. ad §. 1. Inſt. de Injur. n. 6. & 14. ibid. Weſenbec. in not. Fachin. 9. controv. 11. Ludwel. ad Weſenb. Parat. de injur. n. 19. Struv d.* Exerc. 48, *th. 66. in fin. Gail. 2. Obſ. 99. Coler. de proceſſ. Execut. p. 1. cap. 8. n. 79. Faber. in C. Tit. de Injur. Def. 5. Clar. lib. 5 Sentent. §. injuria n. 15. Menoch.* Conſil. 41. n. 29. *Vol. 1. Carpzov. d. p. 2. queſt. 96. n. 76.* utut *queſt. 98. n. 40. cum multis aliis ibid. alleg.* id reſtrictum velit ad denunciationem judicialem, qvod tamen textibus, pro negativâ alleg. haud convenit. Aliter adhuc hanc rem explicat *Cothman. Reſponſ. Acad. 50. n. 157.* qvem vid.

XVII.

Occultè tandem, ſcripturam picturamve injurioſam, propoſitam eſſe oportere, in def. noſtra diximus; eo qvod occultatio nominis primariam nobis differentiæ rationem conſtituat, qvâ famoſus libellus ab injuriâ ſcriptâ, in ſpecie ita dictâ, diſtingui poſſit, ita ut à nomine vel omiſſo, vel ſubſcripto, ad famoſum libellum, vel ſimplicem injuriam inferre tutò poſſis; qvicqvid etiam in contrarium moveant alii, qvi, nominis appoſitionem, vel occultationem, ad ſubſtantiam & eſſentiam Paſqvilli nihil omninò conferre, ſibi perſvaſiſſimum habent. Qvod ipſum ſicuti demonſtratu non eſt adeò difficile, ita etiam moneri haud fuerit operæ pretium, *occulte propoſitum* id nobis h. l. dici, qvod vel nullo, vel ficto, vel etiam alio, qvam qvod veri authoris, pictorisve eſt, munitum nomine fuerit *per l. 5. §. 9. ff. de Injur. Weſenb. in parat. eod. n. 12. quem ſeqvitur Schnobel. D. 24. ad ff. th. 11. conf. Finkelthauſ. Obſ. 38. n. 12.* Probatur autem aſſertio noſtra omnium evidentiſſimè per ſæp. alleg. C. C. C. *art. 110.* his verbis: Welcher jemand durch Schmachbrieff/zu Latein libellus famoſus genandt/die er außgebreitet

gebreitet und ſich nach Ordnung der Recht NB. mit ſeinem rech-
en Tauff und Zunahmen / nicht unterſchreibet / unrechtlicher /
unſchuldiger Weiſe Laſter und Ubel zumiſſt / qvæ adeò clara atq;
perſpicua ſunt, ut ſoli lucem fœnerari videatur, qvi explican-
dis iis operam aliqvam impendere velit. Ineptior verò eſt, qvam
ut elidi mereatur, exceptio eorum, qvi exiſtimant, ſenſum C. C. C.
hunc eſſe: qvod, ſi qvis noverit crimen ab aliqvo commiſſum eſſe,
qvod ſcire expediat reipubl. hoc ipſum non ſuppreſſo ſuo, ſed
potius ſubſcripto nomine competenti magiſtratui indicare, ſive
ſecundum Juris ordinem veri accuſatoris vices ſubire debeat *vid.*
Moller ad Conſt. Elect. 44. n. 6. p. 4. Berlich. p. 5. Concl. 67. n. 38. quos
ſeqvitur Job. Salentin. Fauſt. à Stromberg. Tr. poſthum. de Crimin. ſu-
per. Anno Norimbergæ edit. cap. 15. pag. m. 158 Legitimam enim, & ſe-
cundum ordinem Juris ſuſceptam delationem & accuſationem
dici poſſe ein Schmähbriff / vel libellum famoſum, de qvo Ca-
rolus Imp. ibidem loqvitur, nullâ juris ratione demonſtrari poteſt,
nitente hoc ipſum alias contrario Bocer. *d. tr. de famoſ. libell. c. 2.*
p. add. Nebelkr. Dec. 16. verſ. nec allegata Imp. Conſt. p. 200. Qvem-
admodum, datô, qvod qvi aliqvem de crimine aliqvo diffamavit
appoſito vero nomine, non teneatur pœnâ famoſi libelli, propte-
rea tamen ſecundum juris ordinem, uti arguit Berlich. d. l. impune
non auferet, cum à denegatâ famoſi libelli actione & pœnâ, ad
denegatam etiam injuriarum actionem & pœnam argumentatio
non procedat *Carpzov. d. quæſt. 98. n. 31.*

XVIII.

Neq; etiam ſubſiſtit Heigii explicatio exiſtimantis, qvod, qvam-
vis Imp. pœnam talionis ei ſalte, qvi nomen diſſimulavit, ibidem
dictitaverit, exinde tamen colligi neqveat, famoſum libellum
non eſſe, qvi nomen authoris ſubſcriptum non habet; nam ſi hoc
procederet, admittere etiam Heig. cum aſſeclis ſuis teneretur, mi-
nus ex intentione Imperatoris & Statuum Imperii puniendum
eum, qvi nomen addidit, utut ſecundum ejuſdem Heig. aliorumq;
contrariam ſententiam defendentium, ſuppoſita, gravius delin-
qvat qvi aperto, qvam qvi tecto nomine famam ac vitam alterius

aggreditur, qvod tamen abſurdum eſt; maximè cum *in l. un. C. d. famoſ. libell.* eadem indiſtinctè conſtituatur pœna in eos, qvi famoſos ſaltem ſpargunt libellos, ad qvem text. qvoq; ſeſe inter alia refert cit. C. C. C, uti bene contra Heigium *p. 2. quæſt. 31. n. 44.* id notavit all. à Stromberg *d. l. pag. 159. add. Nebelkra d. p. 200. verſ. aliter. ſeqq.* Qvamvis nec ſuppoſitum illud Heigii admittere h. l. poſſimus, qvia qvi occultè alicujus famam ſuggillat, gravius crimen propterea committit, qvam qvi apertè & palam in faciem alicui maledicit, cum contra hunc agere & vindicare injuriam liceat, qvod adverſus illum, utpote ignotum non datur. *vid. Finkelthauſ. d. Obſ. 38. n. 12.*

XIX.

Juvat præterea ſententiam noſtram egregiè *l. all. un. C. de Fam. lib.* ubi manifeſtè ſibi invicem opponuntur, *per famoſum libellum crimen perſequi, & nomen ſuum profiteri, oreq́; proprio crimen educere,* qvæ oppoſitio luculenter arguit, famoſum libellum eſſe, qvando author criminis objecti nomen ſuum celavit. Et conveniunt in eo omnes fere leges qvæ *ſub Tit. de famoſ. libell. in C. Theodoſ.* reperiuntur, ubi famoſus libellus dicitur, modò *cujus author requiritur*; modò *cujus author nullus exiſtit*; modò *qui nomine accuſatoris caret*, modò *qui captioſâ atq́; occulta ſcriptione alterius vitam in judicium devocat*, uti apparet *ex l. 1. 3. & 4. d. l.* qvæ ad explicationem legum Juſtinianearum ſine crimine falſi commodè allegari poſſunt, *teſt. Lindeman. in Hiſtor. Jur. Rom. n. 326. quem ſequitur Finkelth. d. l. n. 14. add. Nebelkra d. Dec. 16. pag. 201. verſ. 3.*

XX.

L. 5. § 9. ff. de Injur. & fam. lib. ex qvâ palmarium contrariæ ſententiæ patroni deducunt argumentum, tantum abeſt ut noſtram ſententiam infringat, ut potius eleganter eandem confirmet. Nam, ſit vocula *etiamſi* implicativa, qvod inter alios qvoq; urget Hahn. *ad Weſenb. n. 19.* exinde tamen nondum probabitur, qvod per fallac. petitionis principii communiter ſupponitur, qvod ſc. libellus famoſus in illa lege dicatur is etiam, ubi de vero authore ex ſuppoſitione veri nominis ſtatim conſtat, cum ne verbulo qvidem hujus rei ibid. fiat mentio, ſed hoc ſaltem ad ſummum inde elici poſſit, qvod, qvemadmodum lege inteſtabilis eſſe jubetur, qvi ſine

nomine

ine ſcripturam famoſam edidit, ita etiam à pœnâ ibid. conſti- immunis eſſe haud poſſit: is, qvi nomen qvidem ſubſcripſit, on ſuum, verum alienum ſeu falſum; ut adeò non inſtitu- ſit comparatio inter eum, qvi omiſſo, & eum qvi expreſſo, vi qvidem non omiſſo aliqvo, ſed vero tamen nomine ad andum innocenti famæ vel vitæ periculum, aliqvid vel ſcri- vel pinxit; qvod tantò facilius impetrabimus, ſi obtinueri- particulam *vel*, non ſemper disjunctivè, ſed qvandoq; etiam lativè & comparativè pro *veluti*, non minus in jure, qvam Claſſicos authores accipi. *vid. Faber. Theſ. Erud. Schol. h. & Strauch. JC. Lex. part. Jur. Anno 71. edit. ead. voc. ubi multis & authorit. id probat.*

X X I.

Reſtat unicum adhuc argumentum, qvod inter palmaria ntiæ contrar. defenſores referunt, deſumptum ex Ord. Pol. *de Anno 1577. Tit. 35* § Und ſetzen 3. ibi: es habe der Author n Nahmen darunter geſetzet oder nicht. qvod vel propterea aliter h. l. examinandum fuit, cum, ſi concedendum eſſet, ſuppreſſio nominis ad eſſentiam famoſi libelli ſecundum di- ionem præall. Ord. Pol. haud ſit neceſſaria, vix ac ne videm ſubſiſtere poſſit eorum ſententia, qvi inter jus Civile & Jus noſtrum Germ: in hâc controverſiâ diſtinguere ſo- *vid. Brunn. in l. un. C. de fam. libell.* Notandum vero eſt, in all. non tantum de famoſo libello propriè ita dicto, ſed in gene- omnibus aliis injuriis & contumeliis ſcriptis tractari, id qvod ret ex oppoſitione der famöſen Bücher oder Schrifften it: n was ſchmählich/ Paßquilliſch/ oder in andre Weiſe wie das nen haben/ und in was Schein das beſchehen möchte/ ge- t/ geſchrieben und in Druck bracht wird. Et ſicuti certum nnem qvidem famoſum libellum eſſe injuriam, non vero o-

Nec ineptè ulterius qværitur, utrum, qvæ de nominis omiſſione hactenus propoſita, & ad ipſam famoſi libelli eſſentiam relata ſunt, ad nomen qvoq; ejus ſint extendenda, in cujus infamiam & perniciem libellus iſtiusmodi fingitur? Nam pro affirmativâ egregiè militare videtur, qvod libellus famoſus ſit injuriæ qvædam ſpecies *per not. poſ. 2.* cujus nulla executio, ſi incertæ perſonæ convicium fiat. *l. 15. §. 9 ff. de injur. & fam. lib.* Qvandoqvidem autem incertitudo illa, de qvâ obj. lex loqvitur, à ſolâ nominis incertitudine haud dependet, cum nihil referat, an proprio nomine res appelletur, an vero digito oſtendatur, aut aliis vocabulis qvibusdam demonſtretur, qvatenus mutua vice funguntur, qvæ tantundem præſtant *l. 6 ff. de reb. cred.* proinde nulla, probabilis qvidem, facile dabitur ratio, qvare, ſi ex circumſtantiis ſaltem colligi poſſit, in cujus diffamationem & injuriam qvid ſcriptum, pictum, aut ſculptum ſit, ſcriptura talis, vel pictura, ſculpturaq; pro libello famoſo haberi nec poſſit, nec debeat; adſtipulante præprimis *l. 6 ff. de Injur.* qvâ SCtum illud, de qvo §. *10. praced. l. 5. eod. tit.* agitur, qvodvè indubiè ad famoſum libellum pertinet, neceſſarium eò qvoqve caſu dicitur, cum nomen adjectum non eſt ejus, in qvem factum eſt. Et qvamvis ſubjectum patiens ne qvidem ex circumſtantiis certò qveat demonſtrari; ad officium tamen boni magiſtratus pertinebit, in authorem facti debito modo inqvirere, &, ſi inveniri poſſit, eò adigere, ut diffamati nomen edat, qvieſcente tamdiu injuriarum actione *d. l. 6. in fin. conf. Bocer. d. tr. cap. 2. n. 11. quem ſequitur ſup cit. à Stromberg. d. cap. 15. pag. 159. & Harprecht. ad all §. 1. J. de Injur. ubi* ſeqvent. *ex Hoſpital. lib. 5.* rem hanc egregiè illuſtrantes verſus adducit.

Nec tamen appelles proprio vel nomine quenquam,
Aut ita ſignifices; ut poſtquam dixeris, omnis
Ardentes oculos cœtus convertat in illum.

Neq; adeo difficili hic opus eſt probatione, ſiqvidem Reus negans ſcripturã, militantibus adverſus ipſum indiciis, eam recognoſcere, vel juratò diffiteri tenetur, docente Carpzov. *d. quaſt. 98. n. 56. & n. 57.* ubi præjudiciis aſſertionem ſuam firmat.

XXIII.

Diſcuſſis itaq; iis, qvæ ad qvalificatæ noſtræ injuriæ qvidditaᷓ
x eſſentiam pertinere videbantur, pro inſtituti ratione non-
jam qvoq; ſunt dicenda de illius effectu, qvi pro qvalitate
e, oppidò malæ atq; odioſæ, non poterit eſſe alius, niſi malus,
œna qvædam, legibus illicitæ huic ſcripturæ determinata
r. ff. de pœn. l. 5. §. 9. ff. de injur. l. un. C. de fam. lib. in qvam con-
e qvaſi videtur, qvi in leges illas committit *arg. l. 25. §. 5. de*
A. l. 34. de Jur. fiſc. l. ult. C. ad L. Jul. Majeſt. Nov. 7. c. 5. in pr.
mmorabimur reſolvendæ contradictioni, qvæ videtur eſſe
all. l. 16. ff. de pœn. aliisq; parall. & *§. 1. J. de Obl. quæ ex del. cum*
1. ff. de O. & A. ubi obligationes ex delictis deſcendentes uni-
generis, omnesq; ex re naſci dicuntur; cavenda namq; fal-
t fallacia ignoration. Elench. & æqvivocat. qvam ſatis ſo-
emonſtrat *Rebban. in Hodog. Jur. chart. 2. clim. 4 par. 2. pag.*
q. & Tabor. r. Racem. crim. 28. ſeqq. Sicuti autem jura de famo-
ellis varia ſunt; ita etiam pœna, qvæ iis ſancita eſt, nec olim
ec hodiè adhuc ſemper, ac ubiq; eadem eſt, atq; una. Ete-
ipſius diffamati primùm eſt arbitrio, utrum actione famo-
lli ſpeciali, an vero injuriarum generali, & ſi hâc, an civiliter,
ro criminaliter experiri contra diffamantem velit, *d. l. 5. §. 9.*
11. ff. de Injur. Si civiliter, ipſe æſtimat actor, qvantum ſibi pro
injuriâ à reo præſtari velit *§. 7. J. d. t.* Si criminaliter, pœna
itraria, &, pro qvalitate delicti, non ad corporis afflictivam
, ſed ad capitis etiam extendi pœnam poteſt *l. 9. ſeqq. ff. de*
rd. crim. ita ut ad actoris inſtantiam ex moribus palinodia
ſive recantatio utroq; caſu jungi poſſit *Ord. Cam. Imp. part.*
28, §. und ſonderlich ſetzen. *vid. Mynſing. 2. Obſ. 98. Gail. 1.*
Carpzov. p. 2. pr. Crim. quæſt. 94. qvos ſeqvitur *Schnobel. Diſſ.*
ff. tb. 10. add. Weſenbec. Conſ. 22. n. 55. & Farinac. Conſ. 30. &
m......

olim, ſi non apparebat ad cujus infamiam carmen malum, vel ſcriptura qvævis alia famoſa pertineret, ex SCto qvemvis è populo qvæſtione publicâ vindicare injuriam potuiſſe *d. l. 6. ff. de Injur.* & cum pœna nullibi reperiatur expreſſa alia, præterqvam qvod condemnatus ex lege fiat inteſtabilis, haud improbabiliter inde colligi poſſe, extra ordinem reum arbitrio judicis punitum fuiſſe *Anton. Math. d. tit. de Injur. c. 2. n. 5. in fin.* qvam tamen ultra damnum pecuniarium & infamiam, ſalva ceteroqvi civitate, haud fuiſſe extenſam docet Mejer *in C. J. A. d. t. de Injur. th. 45.* Poſtqvam vero malitia hominum excreſceret, viſum fuit Sacratiſſ. Impp. capitis pœnam, LL. XII. Tabb. *teſte Cicerone lib. 4. de Republ.* in fabricatores carminum famoſorum jam introductam, ſed poſtmodum antiqvatam, in uſum denuo revocare *l. un. C. de famoſ. lib.* qvamvis ea nec ubiq; nec in qvovis hujus criminis genere, aut gradu, ultimum ſuppliciũ, ſed ex talionis lege tale potius, qvale promeritus fuiſſet diffamatus, ſi crimen occultè per mendacium objectum, revera ab ipſo eſſe commiſſum, debito modo probari potuiſſet. *per text. expreſſ. all. ſæpius art. 110.* in verbis derſelbige boßhafftige Läſterer ſoll nach Erfindung ſolcher Ubelthat/ als die Rechte ſagen. NB. mit der Pein/ in welche er den Unſchuldigen geſchmähten durch ſeine böſe unwarhafftige Laſterſchrifft hat bringen wollen/ geſtraft werden *vid. Carpzov. d. p. 2. quæſt. 98. ſeqq. Menoch. lib. 2. A. J. Q. Cent. 3. Caſ. 263. n. ult. Heig. p. 2. quæſt. 31. n. 45. Berlich. p. 5. Concl. 67. n. 9. Stephan. & Rem. ad all. art. C. C. C. Schnobel d. D. th. 11. Brunnem. in l. un. C. de fam. lib.*

XXV.

Jure Canon. famoſi libelli compilator flagellis cæditur & deponens iſtiusmodi ſcripturam in templo, anathemate percutitur *can. 1. & 3. C. 5. quæſt. 1.* Moribus a. & conſuetudine, imo & ſtatutis adhuc leviorem hujus criminis reis dictitari pœnam, vel ex legibus & ſtatutis hujus Academiæ probari poteſt, qvæ non niſi excluſionis pœnâ famoſo libello decernunt, vid. Cothman. *Reſp. Acad. 1. n. 203. 204. 234. & Reſp. 50. n. 71. 159. ſeqq.* ubi ſolidè qvoq; demonſtrat pœnam in Paſqvillantes conſtitutam extendi qvidem ad eos, qvi ſcri-

pturam

pturam iſtiusmodi famoſam inventam non lacerant, concremant, vel corrumpunt, ſed divulgant, aliisq; manifeſtant *per l. un. C. de fam. lib. & citat. R. J. de Anno* 1570, & 1577. duo vero copulativè ad hoc reqviri, ut ſc. invenerint & legerint, & deindè inventam, lectamvè publicaverint, ut excludatur publicis typis excuſa, jam antea publicata & evulgata, multo magis ingenii authoris contemplandi deſiderio lecta, vel etiam conſilii petendi causâ, vel magiſtratui loci ad inqvirendū exhibita, ac manifeſtata conf. præall. à Stromberg. *d. l. pag.* 167. *ſeqq & pag.* 174. qvi in ſpecie explicat, qvomodo intelligendæ ſint Conſtit. Imp. Bibliopolis vel typographis eandem pœnam dictitantes, ita ut, ſi rei gravitas & neceſſitas expoſcat, de ſcriptorum iſtorum authore vel tormentis interrogari poſſint; omnia reſtringens ad eos, qvi tenorem librorum intellexerunt, & cenſuræ ſolitæ non obtulerunt *add. C. J. A. d. l. th.* 45.

XXVI.

De duratione utriusq; actionis magna inter DD. qvoq; eſt controverſia, aliis annali eas finiri tempore, aliis verò perpetuas eſſe ſtatuentibus. Nobis haud eſt integrum prolixius hanc qvercum excutere, cum id nec temporis, nec inſtituti ratio patiatur; ſubſcribimus potius ſimpliciter poſteriori ſententiæ, qvam praxi judiciorum etiā ſupremorum firmatam teſtantur Gailius, Wurmſerus, Græveus, Heigius aliiq; allegati prælaudato à Stromberg. *pag.* 177. *ſeqq. add.* C. J. *A. d. l. th.* 46.

XXVII.

Ex his igitur, de famoſis libellis in genere propoſitis, cordatus qvisq;, & cui

mens ſana in corpore ſano,

facilè, ni fallimur, dijudicaverit, utrum *vox hominis* audita nuper fuerit, cum carmina qvædā, non ad infamiā, ſed in honorē, promeritamq; laudem, non malo, ſed pio potius, gratulandiq; animo,

uno vel altero, non attentis aliorum, utut in eodem fœdere conſiſtentium, illegitimè qvidem conqviſitis, ſanioribus tamen ſuffragiis, infami iſthoc nomine pro concione notarentur, eodemq; pene loco, qvo authores ipſi (qvos calumniatores, imo & nebulones fuiſſe, injurias injuriâ atrociori cumulando, addebatur) & ille qvi diſtribui eadē curaſſet, haberi cenſeriq; vellet? Et annon, ſi mitiſſimè cum diffamatoribus iſtis, tanqvam hominibus, *inter quos natura cognationem quandam conſtituit, teſte Florentino. in l. 3. ff. de Juſt. & Jur.* agendum ſit, in memoriam ipſis non tam ſanctior illa, à paucis intellecta Philoſophia, qvam commendat Cothman. *d. Reſp. A. 50. n. 161. ſeqq.* qvæve *aquanimiter ferendo injuriam* (qvæ tamen hic nulla fuit, niſi injurioſè id ſibi detractum qvis opinetur, qvicqvid laudis & honoris in proximum fuit collatum) *honorem defendi, ſervariq; poſſe* docet, ſed Plautinum potius *in Trucul.* revocare liceat, qvo jubetur *ipſum ſe intueri, qui alterum probri incuſat;* ut nebulonem vel calumniatorem in ſinu ſuo rectius qvæſitum & inventum vel foveant, vel etiam prius ejiciant, anteqvam levitatis & maledicentiæ reos alios faciant? Atrociſſima enim, & à verbi divini miniſtris haud expectanda hæc fuit injuria, ad qvam, juſto legitimoq; modo propulſandam, adhiberi omnino poſſit nota hic omnibus, nec juris effectu, de qvo alibi diſſerere meminimus, deſtituta retorqvendi formula:

REMITTO.

Qvâ, cum veritati, juſtitiæ honoriq; defendendo ſufficienter hactenus litatum ſit, lubentes, lætiq; diſſertationem noſtram obſignamus, & agimus

DEO GRATIAS.

COROL-

COROLLARIA

1. Qvibus ſola obſeqvii gloria relicta, etiamſi fuerint Clerici, ſub prætextu dubitantis conſcientiæ Superioris mandatum impunè violare non poſſunt.

2. Conventicula Clericorum nova ac tumultuoſa etiam extra Eccleſiam in privatorum ædibus celebrari ſub pæna proſcriptionis prohibitum eſt. *l. 15. C. de Epiſc. & Cler.*

COmmatis ille mali Vir pridem jure vocatus,
Qvi nil frontis habet, Theonino & rodere dente
Carmina ſat petulans geſtit Votiva Virorum,
Qui ſua tàm Titio, qvàm Cajo ſpontè dederunt,
Et vero qvemvis decorarunt nomine promti.
Hoccine, BLATRATOR, *Famoſum* ſcribere *Carmen?*
Jura negant: Qvi jura tenet, certamine monſtrat
Præſide RADOVIO, qvæ ſit natura Libelli
Famoſi, & ſtolidæ taxat convicia lingvæ:
Imò docet, quæ pœna malis, qui crimina dicunt.

SIc ſatis eximiè, WEISSI, ſolidèq́; revelas,
Quis ſit FAMOSUS, per ſacra jura, LIBER.
Non magè frugiferum poteras verſare laborem,
Nilq́; hodiè poteras ferre ſalubre magis.
Nuper enim ruditas, inſcitia *prodiit* ipſa;
Templaq́; Stentoreâ *voce repleta dedit,*
Quidquid in Alterius ſeſe monſtrârat honorem,
Nomina confeſſum juſta, typorq́; docens;
Publicitùs fixum tabulæ, communeq́; factum
Prorsùs honoratis, PRINCIPIBUSq́; Viris;
Conſcriptum VERI (ceu jurabatur) amore;
Neminis in fraudem perniciemvè ſatum:
Scilicet INFAMEM clamârat id eſſe, LIBELLUM
STENTOR, & infami *jecerat ore probra.*
Qvàm nimis hæc ſtupidè qvàm NEQVITER omnia ficta,
Qui BONUS eſt, reputet, judiciumq́; ferat.
Tu qvoq́;, FAMOSI jam per rata ſigna LIBELLI,
Hanc dirimes litem, votaq́; recta dabis,
Fallor, an ex iſthoc veniet tibi FAMA LIBELLO?
Fallor, an hinc tanto PRÆSIDE dignus eris?

Eledantiſſimæ Eruditionis JUVENI,
DN. WEISSIO, AMICO ſuo, LMQ.
ſcrib.

H. Dringenberg
Prof. Pub.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA